

Pri. 8. num. 78. 4.

2
DISSE^RTAT^O IN AVGVRALIS
QVA
PARADOXA
CIRCA ACTIONEM NEGATORIAM

PRAESIDE

P. 189
ANDREA FLORENTE RIVINO D
POTENTISSIMO POLONIARVM REGI ET PRINCIPI
ELECTORI SAXONIAE A CONSILII AVLAE DIGEST
INFORT. ET NOVI PROFESSORE PUBLICO
CVRIA PROVINCIALIS ET SCABINATVS ITEM
QVE ORDINIS IVRIDICI VITEMBERGENSIS
ASSESSORE.

DOMINO PATRONO ATQVE PRAECEPTORE SVO
OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO LICENTIA
SVMMOS IN IVRE HONORES

CAPESSENDI

D. XXIX. NOVEMBRIS c^{is} Iocc XLVI.
ERVDITO DISENTIENTIVM EXAMINI

PROPO^NIT

AVCTOR

IOHANNES FRIDERICVS REINHARDT

VITEMBERGENSIS

VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHEFFLERIANA.



CONSPECTVS.

§. I.

Communes actionis negatoriae laudes suspectae.

- §. II. Genuina indoles huius actionis a vulgari sententia pragmaticorum vindicatur.
- §. III. Quae ratio, cur paradoxa nominem.
- §. IV. Alia actio negatoria Romanorum, alia, qua bodie vtimur.
- §. V. Actio negatoria, qua libertatem personalem persequimur, non est realis, nec personalis; sed praejudicialis.
- §. VI. Actio negatoria non datur de seruitutibus, nec occasione seruitutum.
- §. VII. Nomen actionis negatoriae, bodierna non meretur, nec ratione formulae, nec ratione finis.
- §. VIII. Fundamentum eius non consistit in negatione servitutis.
- §. IX. Sed in sola dominii natura.
- §. X. Libertas naturalis non est causa actionis negatoriae, sed obiectum.
- §. XI. In negatoria actione regulariter adorem probare debere, non reum viderur.
- §. XII. Tunc demum reo probatio des Befugnisses iniungenda, si dominium actori concesserit.

A 2

§. XIII

§. XIII. XIV. XV. Non solum possibile est in actione negatoria totam rem una probatione absoluere, sed utrique etiam partium magis proficuum esse videtur.

§. XVI. Dominium in actione negatoria probans, praeter possessionem, adhuc bonam fidem et iustum titulum demonstret.

§. XVII. Plena dominii probatio necessaria, si reus, se factum turbatum iure dominii suscepisse, excipiat.

§. XVIII. Actio tamen negatoria, hoc casu, in rei vindicationem non mutatur.

§. XIX. Multo minus libellus tanquam incompetens reiiciendus, et actori, ut reivindicationem instituat, suaderi potest.

§. XX. Actio negatoria locum habet etiam contra illum, qui negat seruitutem ad se pertinere.

§. XXI. Reiiciendus non est libellus, quo actor dicit, reum servitutem praetendere, licet reus postea expresse illud neget.

§. XXII. Insufficiens citatio, sub amissione juris.

§. XXIII. et XXIV. Inutilis distinctio inter actionem negariam directam et utilem ratione objecti.

§. XXV. Reo dominium actoris affirmante, non actori, licet qualitates libello immiscuerit, probatio injungenda, sed reo.

§. XXVI. Quid dicendum, si actor, seruitutem reo competere, in libello quidem fateatur, libertatem tamen ratione excessus in modo vindicet.

Q.D.B.V.



Q. D. B. V.

PARADOXA CIRCA ACTIONEM NEGATORIAM.

§. I.

Communis fere omnium iure consultorum, qui aut de iure respondent et ius reddunt, aut gloriose vocis consilii munimine, laborantium spem, vitam, et posteros defendunt, in hoc consensio est: Actionem negatoriam aliis praferendam esse, cum hoc beneficium ipsi a natura quasi tributum sit, ut, cum negativa esse dicatur, onus probandi in reum deuoluerit, ad eoque auctori, si reus in probanda seruitute, aut simili iure, deficiat, vel nihil agenti victoriam promittat. Mihi certe hac ipsae laudes semper visae sunt suspectae, quare in indolem genuinam huius actionis accuratius inquirere, eiusdemque fundamentum et naturam secundum praecepta

cepta fori hodierni, et stylum curiae copiosius expone-re constitui.

§. II.

Cam enim inuestigandum esset aliquod thema, in quo vires ingenii, Speciminis Inauguralis loco, per-elitarer, quodque ipsum, in foro aliquem vsum habere posset, digna mihi visa est haec ipsa dubitatio, cui immorarer, et de qua sententiam meam paullo distin&tius exponerem. Neque me deterruit magnus ille fecus sententium numerus et au&toritas; Neque si halluciner, de venia despero, cum in cau&a difficili ipse sententiam non dicam, aut cuiquam meam obrudam, sed eruditorum examini meas dubitandi rationes submittam.

Hoc vero onus, quod in me suscipio, cum vires meas supereret, nec tanta in rebus agendis huc usque comparata sit mihi experientia, neque etiam ipsa Speciminis ratio permittat, ut hanc controversiam, tam prolixam, tamque difficultem, funditus quasi exhaustam, quaedam saltim, eaque potiora tantum attingam capita, reliqua fu-turo tempori reseruaturus.

§. III.

Quid per paradoxa, quae in ipso dissertationis meae ti-tulo promisi, intelligam, ex ipsa vocis non incogni-tae et instituti mei, quam hactenus exposui, ratione, latis superque constare arbitror; Ut itaque sine mora ad rem ipsam

ipsam proprius accedam, ab explicatione vocabulorum abstineo.

§. IV.

Illud tamen praemonendum esse mihi videtur, ab actione negatoria, quam praxis in foris nostris, pro vindicanda libertate, quae in iure, non in facto consistit, seruat, illam, qua Romani usi sunt, et quae in legibus a) negatiua etiam vocatur, recedere. Multum enim differt hodierna a Romana.

Romani formulam et verba negatiua ad actionem negatoria rite instituendam requisuerunt; Inde enim negatoria actio in L. 8. pr. D. si seruitus vindic. contraria appellatur, sine dubio ex more judiciorum veteri contravindicandi, ut si auctor diceret: *aio mibi ius esse altius zollendi*; item: *mibi ius esse eundi*, reus contra vindicare: *Aio tibi ius altius zollendi non esse*. *Aio tibi ius eundi non esse*. Quae coniectura firmatur §. 2. I. de Act. verbis: *Contra quoque et paullo post: invicem proditae sunt actiones vide HEBER. dissert. de att. conf. et negat. §. 3.* Ac praeterea ex dicto, §. 2. I. de Att. L. 4. §. 7. L. 6. §. 1. L. 17. §. 1. si seruit. vind. L. 3. §. 8. D. de riuis et L. 15. D. de nou. oper. nunc. apparet, confessoria actione non tantum peti seruitutem, sed etiam libertatem defendi, et vice versa, negatoria promiscue libertatem impugnari, et effectu seruitutem vindicari. Hac inter nostros et antiquos Romanorum mores

a) §. 2. J. de Action. L. 5. D. si *Vlusufr. pet.* L. 4. §. 7. et L. 17. D. si *servit. vindic.*

mores posita differentia, honori Iustiniani contra inculpationes THOMASII b) consulemus. Cum enim moribus Romanorum, nullam contradictionem inuolueret, negatoria seruitutem, et confessoria libertatem vindicari, quod tamen hodie contradictorium esse videtur; Jure meritoque JVSTINIANVS IMPERATOR §. 2. I. de A&T. inter actionis confessoriae exempla retulit, si quis aiat: JVS SIBI ESSE ALTIUS TOLLENDI, licet concedamus per L. 4. §. 7. D. si seruit. vindic. esse libertatis naturalis, utrum quis altius tollere velit nec ne.

§. V.

Nec de illa iam loquor actione negatoria, quae ex possessione libertatis personalis descendit, et tamdiu, donec alter ius prohibendi ex articulis confirmatis probet, obtinet. Hanc enim, cum status quodam modo quaestio[n]em contineat, ad praejudic[ati]o[n]es magis, ac iura partium, nempe vbi quis assent[er]it, sibi id licere, quod iure communis omnibus concessum, quam ad reales aut personales actiones resero. Sed de hac tantummodo mihi sermo est, quae vere realis est, et vi cuius libertas fundo vindicatur.

§. VI.

Ipsam hanc actionem, quam haetenus descripsi de seruitutibus dari credunt, auctoritate Ulpiani in L. 2. pr. D. Si seruit. vindic. et inscriptione huius tituli verbis: vel adarium

b) In Dissert. de onere probandi in Actione negatoria. §. 9.

ACTIONEM NEGATORIAM.

9

lum pertinere negetur, nec non rubrica tituli: Si usus-
fructus peratur, vel ad alium pertinere negetur, suffulti. Ne-
go tamen eam vel occasione seruitutis oriri. Evidem con-
cedo, hancce, exceptione potissimum seruitutis, a parte rei
elidi; Nihilo tamen secius, cum contra quemcunque
competat, qui libertati impedimento est, locum etiam ha-
bebit actio nostra, quamuis, ne verbulo quidem, seruitutis
ab actore in libello fiat mentio. Satis enim constat, libel-
lum, etiam apud nos, per enthymema posse proponi, omissio
scilicet medio termino, ut pote notissimo; iungBARTHII
Hodeg. Cap. I. f. 4.

§. VII.

Quare actio, quam hodie negatoria appellamus, sensu antiquo, nomen negotioriae haut meretur. Nec enim ratione formulae est negotoria, cum hodie verba non amplius necessaria sint negativa; Nec ratione finis, cum hic, non eo, ut reo seruitus negetur, et ille ab usurpatione seruitutis desistere cogatur, sed eo potius tendat, ut praedium aetoris liberum declaretur, et reus ab omni turbatione libertatis desistere, damnaque data resarcire condemnatur, eique secundum R. O. P. S. ad Tit. XXXIX. loco cautionis, ulterior turbatio sub certa poena, in casum contraventionis, interdicatur. Necesse enim non est, ut prius quaestio seruitutis in actionem nostram veniat, quam illa a reo in item est deducta. Nam si reus de seruitute non excipit, inane foret, si a domino fundi exigatur probatio, seruitutem reo non competere, potius, si actor re-

spectu rei probet factum turbatum, et damna illata, reus statim in ea, et expensas litis condemnatur.

§. VI II.

Multo adhuc minus ratione fundamenti agendi dici potest negatoria. Nulla enim datur actio, cuius medium concludendi, in mera negatione consistat, quia sola negatio, aut seruitutis, aut alius cuiuscunq; iuris, nunquam causa esse potest, ex qua reus ab exercitio eiusmodi iuris excludi possit, actor vero si fortiori fundamento non sit instrutus, vel sola deficients interesse exceptione, repelleretur. Vnde in actione nostra negatoria, vel ideo fundamentum in negatione seruitutis consistere nequit, quamvis id expresse afferant BRVNNEMANVS c) CARPOVIVS d) Illustris BOEHMERVS e) aliquis, ipsi actionis nomini et formulae antiquae, qua Romani vtebantur, inhaerentes, dum per actionem nostram negatoriam modo libertas vindicatur, et alteri, ne libertati impedimento sit, prohibetur, neutrum vero eorum consequi possit actor, si sola negatione seruitutis se fundaret. Infirma foret illatio: Actor reo negat seruitutem; Ergo illi etiam competit ius prohibendi, ne hic seruitute vratur. Deinde quaestio de seruitute, in actione nostra, ad rei exceptions, ideoque negatio seruitutis, ad replicas potius pertinet. Replicam vero libello inserere, nemo, nisi ad elidendam exceptionem in continentि liquidam, opus habet.

§. IX.

c) In Proc. Civili c. XVIII. n. 4. d) L. I. Resp. 167. n. 10. e) in Tract. de Action. Sect. II. c. II. n. I.

§. IX.

Fundamentum igitur actionis negatoriae, ex solius dominii natura, vi cuius dominus re sua quomodoconque vti, ac quemlibet, ne in re sua, inuito se aliquid faciat prohibere potest, deducitur. Male enim agit, qui dominii circumstantiam in libello omittit, et repellendus est actor, teste BERGEROF), qui, si dominium negetur, in eius probatione deficiat. Mireris ergo quo iure scribere potuerit WISSEMBACHIUS in *Exercit. Pand. Disp. XX. f. 70. p. 192.* hanc sententiam iuris carere autoritate. Si enim agens negatoria praedii libertatem vindicet, probare etiam eandem oportere. Quicquid enim sit in intentione, idem quoque sit in probatione L. 2. D. de probat. L. 23. C. eod. Verum enim vero cui quaeso, ut presumptionem iuris prober, iniungitur? Iuris allegatio non indiget probatione, quia ius omne certum est L. 2. D. de iur. et facti ignor. quod probari non debet, sed allegari sufficit. Propterea inde constat, commune illud principium, quod omnis negatoria agens, se fundet in negatiua, et ideo onus probandi regulariter in reum deuoluat, nullo nisi fundamento.

§. X.

Tota igitur actio negatoria in dominio et vindicatione libertatis consistit. Consulto dominium cum libertate conjungo, Non enim assentior TITIO g), dum, in B 2 actione

f) De Vini ast, rei persecutor. §. 10. p. m. 20. et RIVINO ad O. P. S. Tit. V. En. 24. p. 161. g) In iure priuato L. III, c. 15. §. 8. et 9.

actione nostra, non de dominio, sed saltim de eius libertate quaeri, et ad eam omnem probationem dirigendam esse, ait. Caussa enim efficiens proxima actionis, non potest simul esse obiectum illius. Nam si verum est, ut verissimum, quod actione negatoria libertas vindicetur, libertas actionem hanc causari non potest, sed aliud ius esse debet, scilicet dominium, quo libertas petitur.

§. XI.

Quod si vero dominium ad fundandam actionem pertinet, consequens est, actorem fundamentum intentionis suae, quod in dominio consistit, regulariter, et nisi illud a reo concedatur, probare teneri. Vtrum vero quaestio de dominio actoris incidenter tantum, an potius principaliter tractari debeat, expediti iuris non est, dum in actione negatoria, non quidem ipsum dominium praedii, vt in rei vindicatione, quae solennem et plenam dominii probationem exigit, sed libertas vindicetur, atque probatio dominii ad legitimacionem ad caussam spectare videatur; Ast ipsa libertas pariter ac seruitus dominio insunt arg. L. 3. D. Si vsus fr. pet. et L. 15. f. 8. D. Quod vi aut clam. Quare in dominio cardo rei vertitur, et summa totius rei quaestio ad dominium praedii reddit, cuius deficiente probatione, et praefumto dominii libertatis, deficit, ipsumque fundamentum actionis concidit: Si scilicet reus factum confiteatur, idque iure se fecisse dicat. Nam si id neget, probatione dominii opus non est, possessio in actorem transfertur, licet rem suam esse non appro-

approbauerit *l. fn. D. de R. V. et R. O. P. S. ad Tit. 16, §. 3.*

§. XIII.

In allegatione autem seruitutis, alias iuris, quae, ex vulgari sententia, a parte rei requiritur, procul dubio potissima eiusdem exceptio consistit, et hac opposita, si litem affirmatiue contestetur, et exceptione iuris cuiusdam se tueatur, huius probationem in se suscipere debet, quamvis hoc durum esse videatur, cum rei partes sint, et esse debeant fauorabiles, quod ei integrum non sit, actoris replicas, quas hic celare potest, in probatione elidere. Attamen, si reus dominium, tanquam fundementum actionis, neget, non reo probationem *des Befugnissen*, sed actori in genere probationem negatorum iniungendam esse, putarem.

§. XIII.

Duplici enim probatione in actione negatoria, ut scilicet primum ab actore dominium praeparatorie demonstretur, postea a reo probatio *des Befugnissen*, reseruata actori reprobatione, suscipiatur, non opus esse videtur. Etenim non solum possibile est, ut tota res in actione negatoria vna probatione et reprobatione absoluatur; verum etiam utrique litigantium utilissimum. Nam actor tam dominium fundi sui, quam replicas suas contra rei exceptiones in probatione deduce-

B 3
re,

re, reus vero exceptiones, quae ipsi contra dominium et libertatem actoris, competunt, in reprobatione simul ducere posset. Haec sunt capita, quorum probatio in actione nostra desiderari potest, omnia. Certo igitur certius est, integrum negotium vna probatione et reprobatione posse absoluiri, et partes, altera earum recisa et abrogata, nullo modo grauari.

§. XIV.

Id quod maxime quoque proficuum esset litigantibus. Qilibet enim, et me faciente, intelligit, vna probatio ne et reprobatione causam breviori temporis spatio, ac minoribus sumtibus, faciliusque tractari atque absoluiri; nec non varios dicasteriorum dissensus, circa quaestionem: vtrum in demonstratione dominii ab actore suscepta interrogatoria h), immo contraria demonstratio admitti debeant, nec ne? aliasque quaestiones euitari posse. Sic interrogatoria non admittenda esse censuit F. I. V. Mense Augusti 1734. in contrarium autem Mense Aug. 1735. interposita appellatione, pronunciauit summus prouocacionum Senatus in caussa derer *Gaertner zu Leßnitz contra die Höffnere daselbst.*

§. XV.

Non nego equidem modum pronunciandi antiquum i) in actione negatoria instituta s. i. Tit. 20. Ord. Pr. Sax. Reu,

h) Vide GRIEBNER, in Princip. Process. L. II. c. 1. §. 5. lit. f.) i) Vid. RIVINI ad Ord. Pr. Sax. Tit. XX. En. 25.

Reu. item Decisionum nouissimarum prima verbis: *Wenn auf Beybringung des Dominii interloquiret wird,* adhuc suisse retentum. Notanter tamen ibidem dictum, *So lassen wir es zwar etc. dabey bewenden.* Qui vero instituit negatoria, dominium, si negetur, probare debet L. 16. D. de exc. l. 2. pr. D. se seruit. vindic. Verba autem: *Wenn auf Beybringung des Dominii interloquiret wird,* ad modum probandi pertinent, non ad formam procedendi. Summarium enim pro-cessum et inde fluentem demonstrationem s. i. App. Ord. Pr. Sax. *Reu.* sustulit. Non igitur solemnum procedendi modum Ord. Proc. *Reu.* in actione negatoria negligi, sed tantum plenam et exactam dominii probationem ab auctore exigi non debere ostendit, vti praecitate ait GRIBNERVS in *Dissertat. de probatione dominii per iuramenti delationem* s. XVI.

§. XVI.

Ideoque, qui actione negatoria experitur diabolica illa, vt eam Accursius nominat, dominii probatione, quae in rei vindicatione necessaria, onerandus non est, nec vt auctor, se a magistratu de praedio inuestitum esse doceat, opus habet. Minime gentium tamen sufficit probasse, rem in bonis auctoris esse. In bonis enim nostris computari sciendum est, inquit VLPIANVS L. 49. D. de V. S. non solum quae dominii nostri sunt, sed et si bona fide a nobis possidentur. Sola vero possessionis demonstratio, nisi iustus quoque titulus et bona fides simul demonstretur, tette

teste Illustri a LEYSER k), non sufficit, ne post discussam causam, verus deinde dominus appareat, et explosis omnibus, quae inter reum et priorem actorem, tanquam inter alios gesta sunt, reo nouam item suscitetur. Quemadmodum quoque publicatis hoc anno Decisionibus nouissimis et quidem in earum prima res ita est discussa verbis: *Ob möbl ordentlicher Weise das Eigentum unbeweglicher Güter und Grund-Stücken, nach Sachsen Recht anderer Gestalt nicht, als durch die Gerichtliche Belehnung erlangt wird etc.* So wollen wir doch, daß in actione publiciana ingleichen da in actione negatoria auf Beybringung des Dominii erkannt werden, es genug seyn soll, wenn Klaeger, daß er das Grund-Stück bona fide et iusto titulo besesse, erweiset. ob er gleich damit nicht belebt ist. Vtrum vero actior reo in hac actione de proprietate iuriurandum deferre possit, an minus, quaestio[n]nis est. Affirmanti sententiae accedere, nullus dubito, praesertim cum ALEXANDER L.4. C. de Probat. rescribat: Proprietatis dominium non tantum instrumentis emtionis, sed et quibuscumque aliis probationibus ostendi, iung. L. 9. §. 7. L. 11. pr. et s. 1. L. 13. s. 1. L. 25. D. de iure. et sic quoque a F.I. L. mense Mart. 1733. pronunciatum esse refert GRIBNERVS dicta Diff. s. XVI.

§. XVII.

Licet vero plena dominii probatio, in negatoria actione regulariter necessaria non sit, ea tamen requiritur, si reus in litis contestatione dominium actoris, et seruitutem a se praetendi, neget, factum vero affirmet, idque non iure seruitutis, sed dominii a se exerceri dicat, in super-

k) In Medit. ad n. Spec. 109. Medit. 3.

superque exceptionem iusti dominii L. 16. et 17. D. de public. in rem act. peremptoriis exceptionibus subiiciat. Tunc enim actor, siquidem aduersarium, qui dominium praedii praetexat, vincere velit, dominium plene probare debet. Nego vero hoc casu stylum I) ita formandum esse: *Dieweil Beklagter, daß er der libellirren Servitut sich anzumassen nicht gemeynet, sich erkläret, so hat Klaegers Sueben angebrachter massen nicht statt;* Sed potius ut in ceteris actionibus omnibus, actori consueta formula probationem, referuata reo reprobatione, iniungendam esse arbitror. Dominium enim actoris in actione nostra, ad fundamentum agendi, dominium vero, quod hic reus allegat, ad eius exceptiones pertinet. Regula vero: actor fundamentum actionis, siquidem reus illud neget, probare, reus autem exceptiones suas in reprobatione deducere debet, extra omnem dubitationis aleam posita.

§. XVIII.

Monent quidem dissentientes, actionem negatorialem degenerare hoc casu in rei vindicationem, et hinc, mutata institutae actionis conditione, processum continuari, et actori probationem imponi non posse. Verum enim vero nego actionem commutari in rei vindicationem, si reus factum affirmet, sed illud non servitutis, sed dominii iure a se suscepturn esse, contendat. Primo enim finis actionis negotoriae eo tendit, ut libertas praedii a turbationibus aduersarii vindicetur: hunc non deserit actor, licet reus, quod per accidens fit, se ipsum do-

C minum

I) Vide Brug. in Suppl. ad Elect. Disc. For. Tit. XX. Obs. 2. Tom. I. p. 251

minum praedii esse, excipiat; immo eum potius semper adhuc allequi potest, si probationem dominii perficiat atque exhaustiat. Deinceps actor actionem in locum prioris substituit atque mutat, non reus. Praeterea actor in actione negatoria plerumque praedium, de quo res est, iam possidet, rei vero vindicatione is agit, qui non possidet, ei vero qui possidet, non est actio prodita, per quam neget, rem alterius esse *s. 2. I. de Action.*

§. XIX.

Ceterum nec juuat clausula: m) *Es ist aber Klägern eine andere Klage gebürend anzustellen unbenommen quam ii, qui contrariam solum sententiam, in solatum actoris, sententiae, in qua libellus tanquam incompetens reiicitur, adiiciendam esse suadent. Miserrima hoc pacto foret conditio actoris, et hoc ipso effectu plane careret negatoria actio, dum quilibet reus, negatoria conuentus, facile ad hanc cautelam confugeret, si certus sit, hoc ipso, si dominium actoris neget, factum affirmet, et se ipsum dominum praedii esse excipiat, ex causa fatua irritam actoris intentionem reddi, aut item differri ac procrastinari posse.*

§. XX.

Denique nec me in contrarium mouet ratio, quam dissentientes in medium proferunt, nempe, quod actioni negatoriae locus non detur contra illum, qui negat servitutem a se praetendi. Sed audiamus PROCVLVM in L. 13.

m) Vid. BERGER. citato loco;

L. 13. D. si seruit. vindic. Fistulas, inquit, in via publica habeo: et hae ruptae inundant parietem tuum: puto posse te mecum recte agere, ius mihi non esse flumina ex meo in tuum parietem fluere. Hic, ICtus, actione negatoria recte agi dicit, contra illum, cuius fistulae ruptae parietem actoris inundant, licet non sit credibile, reum hoc facto, cum fistulae casu ruptae sint, seruitutem, parietem actoris inundandi, ad se pertinere statuere. Co-
incidit *L. 8. § 5.* Item *L. 9. pr. D. Eod.* Sufficit igitur ad fundandam actoris contra reum intentionem, si, reum se in libertate fundi naturali turbasse alleget, cum nihil aliud velit, quam, ut reus ab omni libertatis turbatione desistat, damna resarciat, libertatemque hoc pacto quasi restituat. Seruitutis vero ius, potissima et ynica fere est exceptio rei, qua hanc actoris intentionem irritam reddere potest. Huic, si seruitutem a se praetendi negat, sponte renunciat. Multo itaque magis subsistit actoris intentio. Reus vero ex hoc capite, quia, exceptionem seruitutis opponere neglexit, ab actione absoluui non potest.

§. XXI.

Immo hoc casu reus, si quidem factum turbacium affirmet, statim; si vero illud neget, praevia actoris probatione eiusdem, ut ab ulteriore turbatione sub multa desistat, et damna data restituat, condemnari deberet. Idem etiam sentio, si actor, quod opus non est, expresse assueret in libello, reum, sibi seruitutem esse, contendere. Licet enim reus, seruitutis ius in fundo actoris ad se pertinere neget, et hoc ipso actoris intentio quodammodo elisa videatur: Haec tamen negatio, quippe quae

C 2. Oct 16. 1615. Et 2. Oct 16. 1615. est

est protestatio ipsi facto contraria, tamdiu, quamdiu argumenta actori supersunt, quibus aduersarium seruitutem affectasse, aut saltim factum turbatum suscepisse probare possit, illud haut efficiet, ut reus ab actione absoluatur.

§. XXII.

His praemissis non sufficere videtur citatio sub amissione iuris, *des Befugnisses*, quam D^r. V. PARENTS ILLISTRIS PRAESIDIS mei n^o in foro valde vtratam fuisse testatur, et LVDER. MENKENIVS o) in actione nostra commendat. Quamuis enim reus, si, sub hac comminatione citatus, concumax emanear, exceptione seruitutis excidat, secundum petitam tamen libelli condemnari non poterit, nisi simul item contestari sub poena confessi et conuicti citatus fuerit, alias ei semper adhuc integrum foret, actoris dominium et turbationem libertatis negare. Hae vero ambages superfluae evitantur, si reus in principio statim sub pena confessi et conuicti, et sub ammissione iuris sui ciretur. Hinc est quod serenissimus Legislator Saxo hanc sub iactura *des Befugnisses* citandi formulam in Ordinatione Processus Saxonica non expellerit, potius in omni causa primam citationem pro qualitate processus et circumstantiarum, sub pena confessi et conuicti, recogniti vel praeclusi etc: praeterquam si ex L. Diffamari agatur §. I. ad Tit. IV. i. §. 6, ad Tit. V. O. P. S. R. emittere iubeat.

XXIII.

Quemadmodum vero ex antea dictis apparet, nec negotiorum seruitutis a parte actoris, nec seruitutis allegationem a parte

n) ad O. P. S. Tit. X. En. 63. o) In Comment. ad D. Tit. si seruit. vindic. §. 8.

a parte rei, ad fundandam actionem negatoriam requiri; sed eandem, cum libertatis vindicandae caussa detur, contra quemcunque potius, qui libertati impedimento est, licet seruitutem praetendere, nec velit, nec possit, locum habere: Ita et distinctionem inter actionem negatoriam directam et utilem, ratione obiecti, qua SCHWENDEN-DOERFFERVS p) aliisque utuntur, fundamento carere, aut saltem superfluam esse, credo. Differentia enim haec inter actiones directas et utiles ab antiquis Romanorum formulis originem trahit. Harum tam solliciti fuerunt conditores, vti, sunt, inquit CICERO, q) formulae de omnibus rebus constitutae, ne quis aut in genere iniuriae, aut ratione actionis errare possit. Expressae sunt enim ex vnius cuiusque damno, dolore, incommodo, calamitate, iniuria publica a praetore formulae, ad quas priuata lis accommodatur.

§. XXIV.

Existente itaque casu, cui legis verba et formula accurate applicari poterat, actio directa dabatur. Quodsi vero negotium ita esset comparatum, vt ex mente potius legis, quam ex verbis fluat, et verba formulae directo applicari non possent, sed utiliter tantum, ex aequitate ad speciem propositam infleSSI et accommodari deberent, tunc actio utilis nascebatur. Videamus itaque, vtrum haec distinctioni, de qua nobis in praesenti sermo est, applicari possint, nec ne. Actionem negatoriam directam ratione caussae et obiecti SCHWENDENDOERFFERVS dic-

C 3

cic

p) In Exposit. Act. For. Membr. II. Sect. I. §. 3. q) In Orat. pro Roffio Comedeo,

cit esse eam, quae contra illum competit, qui veram et formalem seruitutem praetendit: et utilem, quae datur contra illum, qui ius aliquod *δικαιογονίας* sive simile seruituti usurpat. Atqui vero seruitutis praetensio nec ad obiectum, nec ad causam actionis negatoriae, sed magis ad rei tantum exceptiones pertinet; Antiqua etiam actionis negatoriae formula, quae per §. 2. I. de Act. et tot. Tit. D. si usus fr. pet. nec non tot. Tit. D. si seruit. vindic. haec erat: AIO TIBI IUS NON ESSE aequum contra illum, qui plane nihil, aut ius saltim seruituti *δικαιογονίας* praetendit, quam contra illum, qui veram et formalem seruitutem usurpat, applicari potest, nec vila verborum inflexione opus est: Praeterea actio negatoria hodierna, ex antiqua magis Germaniae consuetudine, vt supra §. 4. monui, quam ex formula illa Romanorum deriuanda est: Idem denique in actione utili est, qui in directa actor, idem reus, eadem causa et occasio, idemque fundatum, idem etiam finis.

§. XXV.

His fusius aliquantis per, quam animus erat, per trajectatis, quid de vexata illa quaestione: cui partium, actori, an reo, si actor non simpliciter in dominio se fundauerit, potius facta, vim scilicet, clandestinitatem et precarium, libello immiscuerit, reus vero dominium actori concesserit, reliqua negauerit, probatio injungenda sit? sentiam, brevibus exponam. Communis locorum sententia est, actori hoc in casu probationem incumbere. Dicunt enim rationem, cur alias probatio in hac actione reo imponatur, scilicet quia simpliciter negantis, per rerum naturam nulla probatio sit, hic cessare, cum actor non

non simpliciter neget, sed simul aliquid affirmet. Equidem fateor, imprudenter agere, illum, qui vulgata illa possessionis vitia in libello adducit, horum enim allegatio in libello, omni effectu destituitur, dum auctori semper integrum est, eadem, si necessarium ipsi visum fuerit, in probatione, aut si probatio reo iniuncta sit, in reprobatione deducere. Immo concedo auctorem, hac in libello facta vitiiorum commemoratione, insuper hoc damnum incurgere, vt, si quoad has, quas libello inseruit replicas, iuramentum tempestive hauri deferat, hoc, easdem probandi modo, postea vti amplius non possit: Attamen nego, facta illorum vitiiorum in libello allegatione, auctori simpliciter probationem imponi oportere.

§. XXVI.

Praeterquam enim, quod, ex doctrina Illustris a LEX-SER^r auctor, qui aduersarium vi aut clam possidere, ait, pro affirmante haberi nequeat, quia nihil dicit, quod commode probari possit, nisi vis armata, aut aperta fuerit, et iudex, si vel maxime auctor ostendat, reum via aut clam seruitutem aliquando exercuisse, huic seruitutem propterea abiudicare non possit: Falsum quoque est, quod auctor, si praeter putatiuum illam negationem, quicquam affirmer, illico probationem suscipere teneatur. Verius mihi videatur, auctori nunquam, nisi fundamentum agendi negetur, probationem iniungi debere. Si vero reus dominium auctoris affirmat, fundamentum actionis nostrae in aprico est, non iraque video, cur probationem replicarum anticipari opus foret, cum auctor, reo exceptionem suam non probante, in libertate defendi debeat, licet replicas ne minima quidem ex parte probauerit.

§. XXVII.

^{r)} In medit. ad π. Spec. 109. medit. §.


§. XXVII.

Idem sentio de eo casu, si actor quidem, reo seruitutem competere, fatetur, libertatem tamen fundi sui, etenus vindicat, quatenus extensio seruitutis a reo suscepta est e. c. Si reus iter habens, actum et viam exercuerit: Si iure pascendi, ad certum tempus, aut ad certum pecudum numerum restricto, gaudens, indistincte quovis tempore, aut indefinito pecudum numero pascuerit, etc. Licet enim seruat hic actoris praedium, ita tamen, ut quantum ad excessum, a reo susceptum, pertinet respectu modi librum praedium habet Arg. L. 4. f. 7. si seruit. wind. Ex concessio vero ab actori itinere ei iure pascendi, non fluit, quod omni libertati renunciare, et reo ius actus et viae, ac ius omni tempore et indefinito pecorum numero pascendi, concedere voluerit. Contra reus potius, qui, lite tum quoad dominium, tum quoad factum turbatum, affirmative contestata, sibi ius esse seruitute, sub hoc, quem actor impugnauit, modo videnti, excipit, cum seruitutis constitutio in facto consistat, nec vnuquam praesumatur, probationis onus optimo iure in se suscipere cogetur. Ipsam vero seruitutem, quam actor ei concedit, probare necesse non habebit, bene autem modum, quo eam exercere cupit, corroborare tenebitur.

T A N T V M .



AVVZ



ULB Halle
003 918 556



3

Sb.





Pr. 8. Num. 78. 4
16
12
2
1746
P. 189

DISSE
**DISSERTATIO IN AVGVRALIS
QVA
PARADOXA
CIRCA ACTIONEM NEGATORIAM
PRAESIDE
ANDREA FLORENTE RIVINO D
POTENTISSIMO POLONIARVM REGI ET PRINCIPI
ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS AVLAE DIGEST
INFORT. ET NOVI PROFESSORE PUBLICO
CVRIAEC PROVINCIALIS ET SCABINATVS ITEM
QVE ORDINIS IVRIDICI VITEMBERGENSIS
ASSESSORE
DOMINO PATRONO ATQVE PRAECEPTORE SVO
OMNI PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO
PRO LICENTIA
SVMMOS IN IVRE HONORES
CAPESSENDI
D. XXIX. NOVEMBRIS 1746
ERVDITO DISENTIENTIVM EXAMINI
PROPONIT
AVCTOR
JOHANNES FRIDERICVS REINHARDT
VITEMBERGENSIS
VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHEFFLERIANA.**

KÖNIGLICHE
UNIVERSITÄT
ZU HALLE